

num *Isicia* facta sunt, et quamvis
ere piscium fiant, initium autem
ulum dedit. *Galaticae* a colore
atae. *Sphaera* a rotunditate graeco
pellatur. *Ius coquinae* magistri a
averunt, quia ea lex condimenti
iraeci zemam vocant.....
laudamus rivos; sat enim prata ...
puncta pro arboribus germina-

* *

loci.

cio:
Tucci; si ob diem natalem tuum
, singulis pro singulis annis tuis,
, quid ultra desideraveris?
inos, aedepol, quot aetas tua nu-

uidam in urbem venit, ut filium
arcere detrusum; at viarum igna-
quemdam obsequenter rogat:
o, ut carcerem recta petam...?
num, hercle! Gemmariam illam
redere, inaures quasvis tolle, sta-
gum te conifice. Pro certo habeas,
carcerem tē per venturum.

* *

AenigmataI (vulgo *Rebus*).

VPHUOBE/BLUSA

II

uod dein nequeunt, hoc transigo
[sola;
aescindes, celsa volando peto.
ta in superiore fasciculo propo-
ndent: 1] *Flamma*; 2] *Num-mus*).

IOSFOR.

JOSEPHUS FORNARI, *Sponsor*.


TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

ALMA ROMA



QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

C.DEL VECCHIO.



NUMMARIA MENSA ROMANA

(BANCO DI ROMA)

SOCIETAS ANONYMA EX SOLUTA SUMMA LIBELL. 75.000.000

Sedes caput et suprema gubernatio Romae in propriis aedibus
Corso Umberto I, N. 307 (Piazza S. Marcello)

...
Sedes aliae tum in Italia, tum apud exterias civitates:


Alba (cum off. in opp. Canale), Albano Laziale, ALESSANDRIA (in Aegypto), Arezzo, Avezzano, Bagni di Montecatini, BARCELLONA (in Hispania), Bengasi (in Cyrenaica), CAIRO (in Aegypto), Canelli, Castelnuovo di Garfagnana, COSTANTINOPOLIS (in Turcarum Imperio), Derna (in Cyrenaica), Fabriano, Fermo, FIRENZE, Fossano (cum off. in opp. Centallo), Frascati, Frosinone, GENOVA, Lucca, MALTA, MILANO, Mondovi (cum off. in opp. Carrù), Montblanch (in Hispania), NAPOLI, Orbetello, Orvieto, PARIGI (in Gallia), Pinerolo, Porto S. Giorgio, Siena, Tarragona (in Hispania), Tivoli, TORINO, Torre Annunziata, TRIPOLI (in Africa), Velletri, Viareggio, Viterbo.

NUMMARIAE MENSAE ROMANAe RATIONES ET NEGOTIA.

NUMMARIA MENSA ROMANA pecuniam depositi nomine accipit: *a)* iuxta quotidianas computationes easque liberas, fenus rependens ad 3%, data facultate quotidie exigendi usque ad lib. 10.000; ex denunciato duorum dierum, lib. 25.000; dierum quatuor, lib. 50.000; pro maiore summa cum Mensae moderatore conveniendum est; *b)* computationibus pariter quotidianis, at vinculo adstrictis, lucro annuo 4%, si vinculum erit mensium sex; 4 1/2 %, si mensium duodecim; *c)* parsimoniae foventae sub specie, annuo fructu 3.60 %, cum facultate quotidie defendi usque ad lib. 1000, et exigendi ad nutum quotidie lib. 300. De maiore vero summa mandatum dimittitur ad dies tres usque ad lib. 1000; ad dies septem usque ad lib. 5000; ad dies undecim usque ad lib. 10.000; ad dies quindecim, ultra.

Praeterea NUMMARIA MENSA ROMANA: *a)* perscriptiones compensat duarum personarum certa fide pollutum subscriptione munitas, post menses tres solvendas; idque pro omnibus locis ubi argentaria res publice agatur; *b)* mutationum agrestium ad formam, iuxta italicam legem d. 27 Ianuarii 1877 latam, tum Romae tum in Romana provincia requirentibus subvenit; *c)* in antecessum solvit atque mercatorio more pecuniam reportat sub praesidio fundorum publicorum, vel pecuniae nominum tum publicae rei, tum industriae privatae; *d)* litteras emittit ex credito pro locis ubi commercia tum Italiae tum exterarum gentium maxima aguntur; *e)* exterios numeros negotiatur eorumque collybum exercet; *f)* fiduciaris res in custodiam accipit, pro iisque adservandis capsas conducticias ex chalybe etiam suppeditat.

In universum, omnia pertractat quae propria Mensae Nummariae sunt.



CONSTANTINI PISONI Pontificia Officina Candelarum ad Sacra

CONDITA AN. MDCCCIII

pluribusque praemiis aureis et argenteis aliisque honoris
testificationibus insignita

ROMAE - Corso Vittorio Emanuele, 127-129; Via Sediari, 1-3 - ROMAE

Candelae ex cera cuiusvis dimensionis, tum simplices, tum exquisitis ornamentis decorae; rigidissimae vel calidissimis caelis resistentes, iuxtaque praescripta liturgica fabricatae, et a S. Rituum Congregatione recognitae.

FACULAE AD NOCTEM, et diuturnitate et fulgore unicae, ideoque
iure proprietatis septae.

COMMERCIO EPISTOLARE OMNIBUS LINGUIS HABETUR.

RES AD ORBEM UNIVERSUM EXPORTATUR.



Ann. IV.

AL

Premium annuae

march. 10;

FORNARI do

Hic fascio
stare debeba
cimus, quo s
mense Decem
cem rerum t
dum.

Quemadmo
nis egimus, p
sis fasciculu
late diffundin
ordinariam i
societatem n
suri. Hi prof
expletum an
rium habebu
notationis pr
bell. 9, ubiqu
ante solvend
tendum ab
NARI, Equiter
del Governo
revocamus p
fieri posse si
datum, sive p



ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italianam libell. 12 (doll. 2,40;
march. 10; rubl. 4 $\frac{1}{2}$; sh. 10; coron. 12) ante solvendum rectoque tramite mittendum ad JOSEPHUM
FORNARI doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96. ☺ ☺ ☺ ☺ ☺ ☺ ☺

MONITA

Hic fasciculus paginis viginti constare debebat; sexdecim vero eum fecimus, quo spatium maius insequentem mense Decembri praesto esset ad indicem rerum totius anni de more addendum.

Quemadmodum in superioribus annis egimus, per hunc Novembris mensis fasciculum, quem speciminis gratia late diffundimus, **subnotationem extraordinariam indicimus** pro iis qui ad societatem nostram sint ultra accessuri. Hi profecto ab hodierna die ad expletum annum MCMXVIII commentarium habebunt immutato annuae subnotationis pretio, quod est in Italia libell. 9, ubique extra Italianam libell. 12, ante solvendum rectoque tramite mittendum ab Doctorem JOSEPHUM FORNARI, Equitem torquatum, Romam, Via del Governo Vecchio, 96. - In mentem revocamus pecuniae traditionem facile fieri posse sive per publici cursus mandatum, sive per syngrapham apud ali-

quam nummariam mensam Romae exigendam; sive etiam per commissionem apud extera in Urbe Seminaria et Collegia, in quibus omnibus clientes adnumeramus.

Confidimus fore ut sollicitudini nostrae multorum favor respondeat; eritque vel maxime, si, qui in societatem nostram adlecti iam sunt, nomina viorum aliquot nobis pro sua humanitate indicare velint, quibus specimen commentarii nostri non sine felici exitu tradere possimus; quod quidem etiam atque etiam eos rogamus.

Rogamus pariter illos, neque eos, heu! paucos, qui nondum subnotationis premium solverunt, ut moram tandem interrumpant rationesque suas nobiscum exaequent. Neve pecuniae in hoc rerum discrimine mittendae difficultatem in excusationem adducant; per tramites enim superius indicatos certo certius pecunia nobis afferetur, prouti constanter usque adhuc pervenit atque tradita nobis est.

ALMA ROMA.

De familia post bellum instauranda.

Quamquam adhuc acriter ab omnibus in dissitis Europae regionibus pugnatur, et iuvenes milites, iuniores milites hostilibus animis asperiores, excipiunt; et in aedibus desertis mater annosa de filiis avulsis queritur, aut iam in acie interfecti; iuvabit tamen, nec plane otiosum esse forte videbitur, si in illa singulari studio inquiramus, quae redeunte fortunatissimo die, quo, quiescentibus iam hominibus, et pax lauro gloriae redimita propior accesserit, sit omnibus agendum, ut quamprimum bellorum infortunia instaurentur. Et dies ille auspicalis, iam a longe adventans equidem mente praesentitur, et mira omnium laetitia salutatur, et unusquisque, veluti immani mortis periculo solitus, iam amicos ab acie hilariter redeentes amplexatur, filios et fratres ovantes ad lares laetabundus conductit, et omnes, positis iterum armis, paternas domos incolere, easque plausu resonantes exornare, novaque suppellectili abunde decorare incipiunt. Sic omnia reviviscunt, et laetus clamor aedium penetralia replet; imo, in signum exultationis, diceret Vergilius:

Et iam summa procul villarum culmina fumant!

At domi, quot lacrimae rerum! At foris, quae hominum tristitia, quae animorum perturbatio! Omnia sunt propemodum innovanda, ne peius in aevum nobis adveniat. Namque omnes intelligentis consilii viri, et quotquot patriam colunt eiusque integratem, e tam magnis infortuniis ereptam, procurant, libero ore profitentur, ab imis prope fundamentis rempublicam esse instaurandam. Rebus enim futuris nunc in primis consulendum esse autuant. Et revera, post tot opum hominumque excidia, familiae non modo sunt patribus orbatae et filiis, sed, senibus foe-

minisque tantummodo innixa, ne funditus pereant, reviviscant in integrum oportet, novisque moribus potissimum exornentur. Hoc omnes sentiunt, omnesque sibi in posterum auspicantur. Et paulo ante, per omnes non modo Italiae, sed totius Europae civitates, vox diffusa est eademque solemnis, quae maximi consilii plena damnisque praesentibus commota, cives graviter monet de iis praesertim quae in difficillimis hisce rerum publicarum temporibus sunt populis agenda, quaeque in primis vitanda. Omnia enim ipsa vera virtutum indicia, ob perversam in nobis quandam repentinorum hominum rationem, quae abhinc aliquot annos insano doctrinarum studio rempublicam coinquinavit, apud nos excesserunt, et opifices in primis eorumque familiae, pravis rerum novarum studiis adlecti, ad suorum perniciem inconsulte contendunt. Dolendum sane, quod et illi, quibus saepe consilio et auctoritate eos dirigendi monendique cura fuisset, immortalibus rebus posthabitatis, sancta patrum monita christianaque sapientiae placita et scriptis diurnis, fabulisque saepe milesiis et ravidis quoque sermonibus ad populum corrumpi patientur, et improbam vivendi rationem liberrime passim invehant. Advigilant procul dubio diligenter filiis suis religiosi homines, ne quid ex contagione incommodi accipiant, quam dolent insolabiliter iam vel in domorum adyta irrepisse. Quid hoc iuvaret in tot aerumnis?

Ut, inter arma, buccina milites colligit atque hortatur, quid ad pericula repellenda adhibendum, omnes quoque vult monitos, quae sint vel ad extrema capienda, ne quid res publica detrimenti capiat, nec sane desunt qui in medium referant illud Virgilii:

*Discite iustitiam moniti et non temnere Divos,
sic sola religio sanctis innixa argumentis,
ut prima christiana sapientiae aetate,
omnes nunc etiam ad salutem atque ad*

veram germanamque rerum prosperitatem fruendam iterum perducere potest. Ex adverso, plerique nostrae aetatis scriptores, veluti agmine facto, dissociatis animis civium, pravis atque inauditis prius inventis imbuti, a recto tramite toto caelo discesserunt, monstruosum verbum invenerunt, quod ab omni prorsus religione divortium planissime adpellant, hoc nomine leges retulerunt immani pravitatis veneno infetas, atque ita totam humani corporis compaginem coquinaverunt.

Hinc, quum vitalem suaे conservacionis originem reliquisset, familia in magnum foedum errorum numerum incurrit, qui succrescentes etiam atque etiam in dies, ad ultimam perniciem novissime eam perducent. Omne enim auctoritatis, horum opera, vinculum relaxatur, et infimus et procax tunicatus popellus sua iura callide portendens, legum sanctitatis religionisque immemor, stultissime exclamat: «Hoc quaero, ibique satiabor, ubicumque lubitum fuerit animo meo!».

Quo nomine immanis malorum colluvies nos afficit, et praecips in peius semper irruens probrosa humana familia prolabitur, neque ad meliorem frugem aliquando se se recipiet, nisi ei manus praesenti auxilio Deus porrexerit.

Ut olim Ennius suos voluit monitos Romanos hoc insigni carmine:

Moribus antiquis res stat Romana virisque,

aliquot iam ab annis religio nos sancta admonet, unicam spem nobis esse salutis revocare gradum superasque evadere ad auras,

idest ad caelestia consilia iterum amplectenda, ex quibus infinita bonorum lumina in mortales redundare, omnibus temporibus, consueverunt. Patriae ergo est iterum de Deo loquendum, de suis praecipitis est libero ore monenda, sicque viros sanos, validosque milites, probos in terris incolas, adstare videbit, qui erunt prope-

diem caeli possessores. Ad hoc in primis contendit christiana familia. Haec omnia facile obtinebit, modo si constans fuerit, et si auctoritate calluerit, in officio manserit ac religione inclarerit. Quod uno verbo assequi poterit, si christianis moribus praedita exstiterit.

Seneca, quem, auctore Alighiero nostro, moralem pae ceteris adpellamus, malis saeculi sui commotus, haec iustissime dixit: A nobis admodum in exilium acta sunt «iura pudorque et coniugii sacra fides». Et patres querentes saepenumero accipimus, obedientiam puerorum plane desiderari, et antiquam reverentiam erga parentes omnino effugisse; atque adeo amoris vinculis ac disciplinae longo tempore relaxatis, omnia in ruinam irruere.

Quid ergo erit consulendum? Olim in senatu Carthaginensi Hanno de Hannibale disserens dixit: «Iustum iuvenem domi tenendum, sub legibus, sub magistratibus docendum vivere aequo iure cum ceteris censeo, ne quandoque parvus hic ignis incendium ingens exsuscitet». Utinam iuvenuli nostri in bonis artibus affabre exculantur, neve unquam, priusquam e pueritia excesserint, in hominum globum superbe introgrediantur. Livius quum Hannibalis pueritiam in suis historiis commemorat, candide narrat: «Plurimum audaciae ad pericula capessenda, plurimum consilii inter ipsa pericula erat; nullo labore aut corpus fatigari aut animus vinci poterat: caloris ac frigoris patientia par, cibi potionisque desiderio naturali, non voluptate modus finitus...» aliaque id genus complura, quae ad tirones potius piarum societatum respicere diceremus, quam ad animum Hannibalism informandum.

Quid de puellis? Qui luxus in urbibus, quae in pagis immoderantia! Optime novimus ipsos veteres legibus luxuriam frenare studuisse, et suos monere cum dolore adfirmantes:

Florentes quondam luxus quot verterit urbes!

Vetus Urbs nostra sanxerat: « Pudicitia amissa, mulieri nil salvum! ».

Quid de theatris dicam? Si nostrum tempus multis referam vitiis infuscari, quin imo nihil unquam foedius, nihil turpius proponi, omnes mihi facile assensuros confido. Eheu! fugite in primis, o pueri, hunc infamiae locum, ubi passim « aut immunda crepent ignominiosaque verba ».

« Neque enim, — ait Cicero, — ita generati a natura sumus, ut ad ludum et iocum facti esse videamur; sed ad severitatem potius et ad quaedam studia maiora et graviora ». Et, in eodem argumento insistens, inquam, et tu, humanissime lector,

Sirenum voces et Circes pocula nosti,

quae immodice in huiusmodi comedii vel tragoediis offeruntur, et animi pravo musices lenocinio abrepti et magnifico apparatu mirum in modum a recto tramite seduci patiuntur.

Quoniam omnes per vetitum nefas rueunt semper homines, et illud aequum est in promptu habere, quod Horatius dixit:

Iliacos intra muros peccatur et extra;

itaque est omnibus adnitendum, ut ex hoc criminum coeno aliquando adsurgamus. Si patres quod suum est domi gerent, et matres, ceteris posthabiti, quae ad rem non decent, mundi essent in primis, qui dicitur muliebris, christianorum more, immemores, at in interioribus aedibus totae essent in pueris excolendis, iamque non in alieno opere niterentur, nos paulatim reviscentem videremus nostram sobolem. Sic liceret fessis rebus consulere, sic post bellum, maxime memorabile omnium quae unquam gesta sunt, salutem sperare. Omnis enim salutis ratio nititur in hoc sancto familiaris vitae consortio. Utinam matres in primis improbum illum atque immodicum vestimentorum morem, qui universos populorum ordines insigniter invasit, auctoritate et exemplo refrenarent!

Hic enim mos recens omnia turpiter de-

format, et opes in primis omnium familiarum exsiccat, et omnes, nulla habita personarum ratione, breviter ad pauperiem rediget. Haec prorsus praecipua pestis, haec e nostrarum civitatum moenibus expellenda, haec totis viribus vel ob pulcri sensum veramque dignitatem, ab omnibus exuenda. Cuncti quidem populi hac in re insigniter errarunt; et nedum de Italia, sed et de omnibus orbis terrarum regionibus, si vel leviter universarum personarum conditions inquireres, haud dubio diceres: « Non est in eo sanitas! ». Nec utique citra veritatem. Ac propterea omnia sunt vel ab imis radicibus instauranda, atque ab ipsis pueris, qui recte sancteque alendi educandique sunt. Sic olim fecerunt populi in orbe operibus clariores, qui opibus et religione transactis saeculis magis floruerunt.

Atque ita Italia nostra antiquis iterum moribus afflata, veterum clarorum suorum hominum exemplo incumbens, artibus atque commerciis florescens, inter sorores late nationes viribus opibusque nitens erit. Tunc alter Horatius de recenti sobole nostra dicere poterit:

*Duris ut ilex tonsa bipennibus
Nigræ feraci frondis in algido
Per damna per caedes ab ipso
Ducit opes animumque ferro.*

I. B. FRANCESIA.

DE IOANNE CHRYSOSTOMO

Modus ac tempus quo cognomen Chrysostomus invaluit

Magni momenti res est, eaque quae cum natali die nec non cum fama tanti hominis copuletur; quo factum est ut studia ac quaesita de hoc argomento nunquam deficerent, nec modicis fructibus redundarent.

Anno millesimo septingentesimo decimo primo Vollandus, in opere quod inscribitur *De elogio Chrysostomi*, originem cognominis Chrysostomi anno sexcentesimo et sexagesimo addixit; sed eius opinioni sese opponit Preuschenius,¹ qui iudicat non ultra vii saeculum diem hanc esse pellendam: Al. Hallierius vero contrariam habet sententiam;² ipse enim diem a qua Chrysostomi cognomen invaluit longe altius depulit, decrevitque eam esse statuendam anno circiter sexcentesimo. Graeci ac Syriaci multa dictant, sed parva fides eis adiungenda; in iis quae ad Graecos pertinent, illud compertum est quod Euthychius Alexandrinus in *Annualibus* narrat.³ Ipse auctor est, Chrysostomum hoc illustri cognomine auctum fuisse, quod mulier quaedam inconsolabilis de morte eius, sponte significativam vocem ediderit, dicens: « O Ioannes Chrysostome! ».

A Syriacis, contra, accepimus, Ioanni in oratione atque lectione incumbenti argumentaque elucubranti, quibus probaret B. Virginem appellandam esse *Theotocon*, Virginem ipsam apparuisse atque Chrysostomum grati animi ergo eum appellavisse.⁴

In dubiis animus haeret circa panegyricum qui Proclo tribuitur; his enim dubiis demptis, quaestio probe resloveretur, quia Proclus anno quadringentesimo trigesimo octavo in concione exclamaverat de Chrysostomo: « O nomen, quod tua egregia facinora non negas! O cognomen quod vitam egregie actam refers! ».⁵ Quo in casu nil melius esset desiderandum. Nec minus dubitandum de auctoritate tractatus: *De traditione divinae Missae* Proclo adscri-

bendi. In eo enim Proclus exclamat: « O pater noster, o Ioannes Chrysostome! ».⁶ Dubia vero augentur quia cognomen illud prorsus ignoratur ab Augustino; is enim hominem magnis laudibus extollit, sed tantum Ioannem eum appellat.

Non tamen credendum est cognomen Chrysostomum nullo unquam sensu ac ratione Ioanni datum fuisse; hoc encomium sive de Ioanne sive de aliis multis legimus; inter quos de Antiocho Ep. Ptolemaidos, ut Sozomenus refert;⁷ sed longe aliud est cognomen obiter tributum ac universalis quodam iudicio sententiaque recognitum.

Anno vertente quingentesimo quadragesimo septimo, Facundus De Hermiana, quem argumenta agitaret in defensionem trium capitulorum⁸ exclamavit: « Illud os aureum constantinopolitani Ioannis »; quo in casu vox *aureum* sumitur tantum adiective, non subiective; sed paulo post, videlicet anno quingentesimo tertio et quinquagesimo, Vigilius summus Pontifex in *Constituto de tribus capitulis*, edixit: « Iohannis Constantinopolitani Episcopi, quem Chrysostomum vocant ». Circa eodem tempore quo Vigilius, Cassiodorus quoque scribens de Ioanne ait: « Epistolas a Ioanne Chrysostomo expositas ».⁹

Anno sexcentesimo decimo quinto Isidorus Episc. Hispalensis, in opere quod inscribitur *De viris illustribus*,⁵ ita de Ioanne loquitur: « Ioannes SS. Constantinopolitanae sedis episcopus, cognomento Chrysostomus »; exinde cognomen Chrysostomus universe invaluit. Sed aliter quoque Ioannes appellatus fuit. Philotheus enim eum appellat *Chrysorrhemon*;⁶ Georgius

¹ Vid. MIGNE, *P. G.*, 65, 852 B.

² *Hist. Eccl.* VIII, 10; *P. G.* 67, 1541.

³ Vid. in fol. XXIII, b.

⁴ *De institutione divinarum litterarum*, c. VIII, *P. L.*, 70, 1121.

⁵ Vid. c. 19, *P. G.*, 83, 1093.

⁶ Vid. *Philotheus Patr.*, *contra Gregoram Antihereticorum*, *P. XI*, *P. G.* 151, 1051 D, 1007, etc.

Alexandrinus affirmat suis temporibus Ioannem appellatum fuisse: Ἐλεημονικόν, orationum causa, quae pro miseris et pauperibus recitaverat.¹

Gloria tamen huius cognominis nunquam excidit sive in latina sive in graeca ecclesia, ac temporum lapsu maior solemniorque personavit.

ALEXANDER AURELJ,
In Pont. Sem. Rom. professor.



Utrum primis Ecclesiae saeculis fas fuerit christiano viro militiae nomen dare.²

Ad Nicaenae Synodi seu oecumenici Concilii Canones nunc venimus; ex quibus, si, uti adversarii arbitrantur, lex universe militiam damnans sancta haberetur, argumentum non leve contra nostram thesim opponeretur. Quoniam autem de re agatur apprime solemni, seu de Ecclesiae universalis decreto, diligenter expendens nobis est obiectorum Canonum textus, qui sunt XI et XII, iuxta edit. HARD., *Concil.*, tom. I, pag. 327.

«Can. XI. De his, qui transgressi sunt sine necessitate, vel sine facultatum oblatione, vel sine ullo periculo, vel sine alio eiusmodi, quod per *Licini* tyrannidem contigit, visum est Synodo, etsi humilitate indigni sunt, clementia tamen et benignitate in eos uti. Quicumque ergo sincere poenitentia ducuntur, tres annos inter auditores fideles exigent, et septem annis prosternentur, duobus autem annis absque oblatione, erunt orationum cum populo participes». Ex hoc Canone constat de iis, qui lapsi sub Licinio fuerunt, Synodus agere, adeoque canonem sequentem

de reversis ad castra, quum Licinius imperaret, esse intelligendum.

Sic autem habet Can. XII: «Qui autem vocati quidem a gratia, et primum imputum monstrantes deposuerunt cingulum, postea vero ad proprium vomitum relapsi sunt veluti canes, ita ut quidam, et pecunias tribuerent et beneficiis militiam reperterent: hi decem annis post triennii tempus, quo inter audientes erunt, prosternantur».

Nemo non videt, si duos hosce conferat Canones, agi in iis de lapsis in idolatriam. Etenim, ut Eusebius (*De Vita Constantini*, lib. I, cap. LIV) scribit, «Licinius milites militia exuebat, nisi diis sacrificare vellent». Quare his, qui conscientia puncti cingulum abiecerant, redditus ad militiam sub Licinio non patebat, nisi per Fidei Christianae abnegationem: quae quia eo erat gravior, quo prior ille actus maiorem in illis legis divinae cognitionem testatur, ideo hi (Can. XII) defectores gravius etiam punientur quam illi, de quibus egerat praecedens Canon, qui sine periculo vitae aut facultatum amittendum Christianismum abiecerant.¹

Quapropter nihil thesis nostra damni patitur ex allata argumentatione Synodi Nicaenae. Generaliter enim de omni militia interpretari Canones Nicaenos ab omniratione alienum est. Praesertim si Historiam perspexerimus; nam Historia testatur² his qui sub Licinio militiam abiecerant, neque Licinio imperante ad eam redierant, ne Fidem Christianam violarent, a Constantino datam optionem, immu-

¹ Vid. P. G., 87, 2993.

² Cfr. fasc. sup.

² EUSEB., *De Vita Constantini*, lib. II, cap. XXXIII.

nesne esse a militia vellent, an ad militiam redire. Quod haud dubie multi fecerunt.³

Diximus supra (pag. 168) veteres non nullos videri improbare militiam, eo quod consilia divina pro praecepsis amplectentur. Et ex his sunt: Athenagoras (*Legat. pro Christo*, cap. I), qui scribit: «Christiani adversus sua rapientes iudicia non contendunt». Item Salvianus, qui ait: «Iussum a Christo, ut ea ipsa de quibus lis est relinquamus, dummodo litibus exuamur». Et similiter pro Episcopis statuit Concilium Carthaginense IV: «Episcopus nec provocatus de rebus transitoriis litiget». Eadem de causa legimus apud veteres improbatum omne iuramentum, quum tam S. Paulus in re gravi iuraverit. Apud Tatianum (*Apolog.*, cap. XVII) christianus quidam dixisse fertur *praeturam recuso*; apud Tertullianum (*Apolog.* c. XLVI) habetur: *Christianus nec aeditatem affectat*. Et ita passim. Celebris mansit sancti Maximiliani Mart. responsio:⁴ «Dion proconsul dixit: apta illum. Quumque aptaretur, Maximilianus respondit: Non possum militare; Christianus sum. Dion proconsul dixit: Incumetur (*sic*). Quumque incumatus fuisset, ex officio recitatum est: Habet pedes quinque, uncias decem». Censebat S. Maximilianus illicitum esse christiano viro militare,⁵ sicut etiam hac nostra tempestate, praesertim rudiores credunt se peccatueros, si quaedam sublimioris vitae non exequantur, vel quae ibi illicita sunt faciant. Ast nemo sane mentis dicet ita agendum, sub pracepto; quia laudabilia, quidem, eximia, Deo apprime grata haec esse possunt; nullius tamen legis necessitate a nobis exigentur.

¹ Cfr. MAMACHI, *Op. cit.*, tom. III, pag. 229 sq.; GROTH, *Op. cit.*, lib. I, cap. II, § X.

² S. HIERON, *In Iovin.*, II, § XXXIV. *Acta Mart.*, edit. Ruinart, pag. 300.

³ Aut forsitan noluit militare, ob animae pericula in illo vitae genere, sicut juvenis S. Marcellinus (*Martyrol. Rom.*, d. II Ian.) militare recusavit sub Licinio et ideo martyr occubuit.

Neque amplius immorandum videtur ad obiectam, non recte, traditionem Patrum reiiciendam. Firmatam, e contra, vidimus thesim nostram, pro qua, ut pauca alia adiiciamus, ex opere quod sub titulo «*Canones Apostolorum*» venit⁴ excerptus. Legitur enim ibi (Lib. VII, Can. III): «Non quasi omnis caedes illicita sit, sed ea, quae est innocentis: ita tamen, ut quae iusta sunt, magistratibus solis sint reservata». Imo clarius pro nostra thesi, in lib. VIII, Can. XXXII: «Miles baptismum postulans doceatur ab iniuriis et vexationibus abstinerre: contentus esse suis stipendiis. Si bis pareat, admittatur». In Conc. Prov. Arelatensi I, tempore S. Silvestri Papae et Constantini Imperatoris, hic Can. (III) habetur: «De his qui arma proiicient in pace [scil. extra persecutionis tempus], placuit abstinere eos a communione».

Et ipsem Tertullianus scribere potuit (*Apolog.*, c. XLII): «Navigamus et nos vobiscum et militamus». Imo paulo ante (c. XXXVII): «Hesterni sumus et vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula». Manendo scilicet christiani in militia, etiam post baptismum. S. Basilius (alias contra nostram thesim allatus) scripsit de antiquioribus christianis: «Eas quae in bello perpetrantur caedes maiores nostri pro caede non habuere, excusatos habentes eos qui pro pudicitia ac pietate decertant».

Traditio igitur catholica, ex SS. Patribus et Conciliis pro nobis est, non contra nos. Ex quo abunde probata videtur nostra in initio huius lucubratiunculae posita thesis, scilicet cum affirmativo responso ad dubium: «Utrum primis Ecclesiae saeculis fas fuerit christiano viro militiae nomen dare».

(*Ad proximum numerum*).

JOSEPHUS FAMELI.

¹ Conscriptum dicunt circa finem saec. II.

² Iuxta documentum Ioannis Baptiste vide supra, pag. 152, fasc. IX.

RELLIQUIAE

Carmen FRANCISI SOFIA ALESSIO Radicenensis in certamine poëtico Hoeufftiano anni MCMXVII magna laude ornatum.

Blanditias alii cupiant et inania mundi
Gaudia securi, desipientque vagi.
Ast ego sublustri vivam secretus in umbra:
Sunt satis exiguae fida sacella domus.
Parva placent, teneroque micans infantia risu,
Quam beat adspirans molliter aura poli.
Cara fuit suboles, quam mors crudelis ademit:
Hei mihi! quae degi tempora nunc recolo.
Sunt mihi reliquiae, puerum monumenta duorum;
Pignora, quae servo semper amore pio.
Serica vestis adest et parva subacula, suntque
Flaventes crepidae pileolusque rubens.
Deliciae ludi mihi blanda crepundia restant;
Candida quod cinxit colla monile manet:
Unde securiculae simul argentoque nitentes
Forficulae pendent curvaque navicula.
Pauxillasque boves miror cochleasque suesque,
Et tenues galeas ensiculosque breves.
Astat plostellum; crepitacula grata supersunt,
Pulsa levi quondam quae sonuere manu.
Quin mihi servatur rutilis coma florea cirris,
Quam mulcere iuvat saepe diuque manu.
Atque mihi videor natos mulcere tenellos,
Ac molli dextra dulce foovere caput.
Gratia vestra nitet vivax in imagine, nati,
Quam sol expressit lumine versicolor.
Scilicet intentis speciem contemplor ocellis,
Qui mihi turgiduli fletibus usque madent.
At tua nunc animo resonant mihi dulcia verba,
Attili, tua nunc vocula triste sonat.
Tu riguo maeres cathedra suffultus in horto;
Tu quereris toto corpore languidulus.
Mammam saepe vocas, ac palmas usque trementes
Tendis, et auxilium, me subeunte, petis.
Ecce November adest: tu crudo frigore torpens
Luges, meque fores obdere, gnate, iubes.
Suaviolis querulum placavi, teque, tenelle,
Frigidulum fovi, nocte dieque vigil.
Tu moriens nos in tenebris luctuque relinquis;
Deficis immitti morte, miselle puer!
Tu cedis, sacris dum frater ab aedibus infans
Carolus affuso sanctior imbre reddit.

Balba tibi, memini, dicebam, Carole, verba;
Tu risum lacrimans ora fovenda dabas.
At tu iam matrem potuisti noscere risu,
Mollibus et cunis deliciisque frui.
Iam risum risu tentabat promere mater,
Tuque reliquisti limina nostra, puer.
Vestra pius, gnati, foveo venerorque sepulcras:
Exanimis colui compositaque manu.
Sub tumulo, velut in cunis, recubatis opaco:
Non vestra mater dulcis in aure sonat;
Murmure vos placido demulces nigra cupressus,
Et philomela modis nocte silente suis.
Nunc animo subit illa dies, qua forte per umbras
Se species oculis obtulit alma meis:
Ad salices olim solus meditabar amaras,
Per tumulos ibam funereasque crucis.
Ad ventum circum resonabant flebile campi;
Tum vero flevi, iam moriente die.
Scilicet adstabam crucibus tumulisque duobus,
Et lacrimans gemitus ore tremente dedi.
Succiduoque genu natorum muta sepulcras
Oscular et fundo supplice voce preces.
Inde gemo: Misericordia, qui multa tulistis;
Mater non fausto sidere vos genuit.
Huc properate simul, suavesque venite piique;
An Libitina vetat vos meminisse mei?
Dum loquor, ecce subit tacitoque per aera lapsu
Papilio volitat, moxque moratur iners.
Restiteram cupidus: volucri sub imagine tandem
Extinctam subolem rebar adesse mihi.
Adsis; exclamo, num dulcem visere patrem,
Attili, properas? Umbra pusilla, veni.
Nunc sine, gnate, tuo iactem mea verba sepulcro:
Nunc mihi siste pius; pupule care, mane.
Papilio iunctis stetit alis molliter, atque
In picto tandem flore resedit inops.
Iam libat tumuli calices, ubi Carolus infans
Stat prope fraternalis compositus cineres.
Deinde citus revolat, visu mirabile quando
Papilio tacite devenit alter amans.
Aligeri coeunt blandisque amplexibus haerent,
Atque simul iungunt mutua basiola.

Mirabar casum: tenues abit unus in auras,
At prior ante manet; iam thyma summa petit.
Dulcem bestiolam contemptor corde micante:
Alas miror hians binaque cornicula.
Tum vero precor ingenti percussus amore:
Usque mane; sine me tangere membra tua.
Auscultare mihi bonus ille videtur, et ipsa
Aggit Alma quies fletibus usque meis.
Tum me demitto volucremque in cespite molli
Attingo digito leniter ac leviter.
Papilio tremulis facilis mihi constitutus alis,
Dum precor et cingo maesta sepulcras rosis.
Denique discedens libratis evolat alis:
At mihi sollicito dulce levamen adest.
Exstant praeterea vacuo cunabula lembo:
Stans iuxta mater voce dolente gemit.
Illa videtur adhuc questus audire puelli:
Nunc sonat ex animo naenia, quam cecinit.
Impressam genetrix absentis imagine nati
In cunis tabulam ponit, et inde dolet:
«Pupule, vix nosti matrem; mox heu! peristi:
Luctibus est atris tota sepulta domus.
Iam bene lacte mihi plenae mansere papillae,
Te, veniente die, te, fugiente, voco.
Longas me tecum memini consumere noctes;
At matris eur non aspicis ora tuae?
Dormis, nec miseram, puer, allicis ore micante,
Nec cohlo nectis tu mihi brachiolum.
Nunc circumvolitas laetus per aperta serena:
Te potero caelo, Carole, conspicere.
Dormi, care puer, caelestia somnia specta:
Mollior aura tibi spiret ab Elysio.
Aura, veni, foveasque meum suavissima pupum.
Languidulos oculos flamme conde tuo.
Nunc placide dormi, matrem quandoque videbis,
Afflatuque tuo me, bone pupe, iuva.
Iam mihi tecta strepunt, venit ecce per aera flatus;
Spirat ab Elysio mollior aura mihi».
Sic stupet exposita genetrix in imagine nati,
Alternantque vices umbra nitorque suas.
Illa dolens iuxta cunas velut immemor adstat;
Ingemit usque, canit naviculamque ciet.
Defixis oculis fluitantem momine cymbam
Admiratur amans ac pueri speciem.
Spiritus advolitat medius terraeque polique,
Ac velut in somnis aspicit Elysium.
Aspicit aetherea fulgentem luce puellum:
Auriculas mulces tinnula vox pueri.
Nescio quid matri vox illa susurrat in aurem:
Solatur lacrimas aura profecta polo.

Numina vestra, lares, sensi: solatia praebes,
Tu mihi casta domus, tu mihi sancta Fides.
Quidquid de vobis superest, mihi pectore, gnati,
Suscitat igniculos ingeniumque fovet.
Bellula dona, comae, cunae pictaeque tabellae,
Ossaque cum tumulis pignora cara mihi.
Nam me saepe iuvant puerilia numina, saepe
Maesta sepulcras peto, dum fera bella tument.
Ipse faces vigil ac verno de flore corollam
Uvidulam lacrimis ad pia busta feram.
Non est omnino suboles mihi mortua: gratus
In somnis monitor visus uterque puer.
Vos eritis semper praesentia numina, cari;
O iaceam vestra contumulatus humo.
Deliciae dulcesque mei vixistis amores;
Usque per aethereas nunc simul ite plagas.

ARCHEOLOGICAE RES

De collybis apud antiquos.

Alma Roma nostra, dum ad tempus
praeteritum curiosius respicere pergit,
haud segniter e more sequitur quot nos
res undique premunt suosque lectores. Ac
propterea cum hora quae ruit merito dic-
ceretur de *nummulariis*, quoniam ipsi
nullo adversante late dominantur, aci-
que obtinent, in aedes penetrant, in palatia
se conferunt, et reges vexant tenentque
captivos, iuvabit fortasse eorum historiam
fusius cognoscere. In primis cur nos istos
*Collybos*¹ appellavimus? Nos istoc homi-
num genus hoc nomine donavimus, au-
ctore Cicerone, qui apud Romanos signi-
ficabat homines illos, qui, e Graecia pro-
fecti, et graeca arte Romanam rempubli-
cam inundaverunt, eamque, ut locustae
brassicas mordent atque lente absument,
et miseros mortales foedere undique pre-
munt, laetioresque in incautos concinunt:

Decidit in casses praeda petita meos.

¹ Idem sonat hoc vocabulum atque *nummulus*.

Ipsi in famam venerunt, seu potius in divitias, quo tempore aes apud Romanos cudi coeptum est. Diu Assyriis ignoti fuerunt atque Aegyptiis.

Fortasse Hebrei hoc commercii genus invexerunt primum, de licentia Antiochi septimi, anno centesimo circiter ante Christum natum, et serius omnino, quum Romani Iudea sunt potiti, ut templo pecuniam hebraicam solverent, ad Collybos seu ad pecuniae mutuatores vi se conferebant. Tunc enim Collybi, in piorum advenarumque commodum, tabernam ipso in templo disponere consueverunt. Ibi eorum tabernae, ibi mensae, ibi negotiatio clamorosa, hinc atque illinc merces opulentae et peregrinae divitiae, *praeco* denique *ad merces turbam cogit!* Quo nomine, quoniam sic omne sacrum improba avaritia profanat, mitissimus Iesus infamem avarorum ingluviem aegre ferens, indignabundus e templo expulit.

Labentibus annis, non modo pecuniam permutare coeperunt, sed parvulos nummulos exhibebant, ex negotiandi necessitate atque ex consuetudine, eosque in foedere ponebant. Haec quoque ex sancti parabolis Evangelii assequi possumus.

Haec autem foeneris ars vel aurea Graecorum aetate viguit; namque nummularios vocabant *trapezitas*, sic ob mensam, *trapezam* nuncupatam, in qua populi Orientales apud angiportus aut in plateis rem suam exponebant.

In Urbem primum se mensarii contulerunt anno trecentesimo nono ante Christum natum, et argentarii nuncupati sunt. Ipsi enim ex Etruria egressi cum argento aes rude adhuc Romanorum permutabant. Sed mutuum sumere coeperunt vel rogarere, nummos antiquos cum recentibus mutare; uno verbo quidquid in hoc negotiorum genere fieri passim consuevit.

Hic vero nihil prorsus dicam de mala atque vorace foeneratorum progenie, qui, in Urbe, saepe veluti molossi, miseros cives

romanos gravi foenere turpiter tenebant, atque inquis usuris eos ad saccum redigebant. Quin imo infami nexo addicti ad ergastulum trudebantur, vel ad circumagendas molas manuarias seu trusatiles, quas vocabant, creditori operam suam locare cogebantur. Quot malorum fluvii ex horum improborum ingluvie in Romanos identidem redundarunt! Sed hic sermo est tantummodo qua ratione sint in Urbem ingressi nummularii.

Quod discriben inter nummularios intersit, mensularios collectariosque, haud satis liquet: namque saepe omnia, quae ad pecuniam mutuandam spectant, quisque facile, uti lubit, usurpare solebat.

Roma, ubi fama perhibetur, modo anno quingentesimo, pecuniam ex aere conflam adhibuit, et sola necessitas intulit in Urbem argentarios. Horum autem tabernae in uno potissimum loco erant dispositae, in foro, et proprius apud Iani arcus. Hinc illud Horatii:

Qui puteat Ianumque timent celeresque calendas!

Adstabunt passim et in circumstantibus vicis; et quoniam *mensa* in huiusmodi tabernis e more perspicua erat vel unica, sic mensa et ipsum hominum munus unus idemque sonant.

Nulla prorsus mensae effigies, e tot statuarum numero, apud nos pervenit; et Romae unus adest in Museo Vaticano nummularius, qui pedibus stans habet ob oculos mensam, mira pecuniae vi onustam, et procul advenientem hominem adspicit, qui lente saccum humeris gerens proreditur.

Et in vaso vitreo depictus adparet nummularius quidam, inter nummorum sacculos, ex utraque parte dispositos, cum pretio inscripto.

De ipsorum ingenio alii alia scripserunt. Ceterum hoc dicere possumus, ipsos depositam sibi pecuniam diligentius custodiare, mutuum sumere et commodare, alia-

que id genus agere, quemadmodum in praesens faciunt. Comoda vero illa pecuniae permutatio, quae passim per litteras fieri assolet, nota quidem apud veteres, parum omnino adhibebatur. Ac propterea hac de re longe adhuc erat actio nummulariorum quam in praesens, neque in negotiatorum facilitatem ac quaestum tot beneficia per nummularios manabant.

Omine concludam, ut dies tibi afflugeat, candide lector, qua ad nummularios laeto pede pecuniam multam merito industria conquisitam conferas, atque inde largos celeresque fructus recipias!

SENIOR.

PRO IUNIORIBUS

De urbanis moribus.¹

« Ritrosi » (idest morosi) dicuntur italice, qui omnibus semper adversantur, uti vox ipsa sonat, nam *a ritroso* idem est atque « contra quam alii solent » (italice etiam *a rovescio*). Quid autem valeat morositas ad hominum animum et benevolentiam captandam, facile patet consideranti nos per illam aliorum cupiditati adversari; quod inimicorum quidem est, non amicorum.

Voluntatem quisque suam ad alienam componat, dummodo neque damnosum sit, neque indecorum.

Te neque rusticum praebe neque difficilem, sed gratum et domesticum: nihil enim interesseret inter horti arbores et deserti, nisi alia domestica essent, alia vero agrestia. Scito vero illum esse gratum, cuius facta et dicta vel in communi usu amicitiae imaginem referant; rudis, contra, ubique alienigena videtur. Quare dulci semper ratione saluta, loquere, responde omnibus, veluti civibus et notis,

¹ Cfr. fasc. IX.

familiariter utens. Contra quod agere consueverunt, qui nemini subrident, omnium preces detrectant, nullumque in bonam partem accipiunt honorem vel humanitatem, alienigenas omnino se barbarosque prodentes. Aliorum visitationes et societatem respunt, nec ullam capiunt ex salibus facetusque voluptatem. Quapropter merito sunt hominibus parum accepti.

Dedecet te esse moestum et veluti absensem inter praesentes; et quamvis ea de causa fortasse non improbentur humanioribus artibus disciplinisque dediti, ceteri omnino improbantur. Quinimo et illi, quum huic arti vel disciplinae vacare cupiant, id, omnibus semiotis arbitris, faciant.

Teneriorem mollioremque esse, pariter indecorum, viris praesertim; eorum enim usus servitus est, non vero societas. Et re quidem vera nonnullos reperimus adeo molles et fragiles, ut ipsis uti haud aliud sit quam inter vitra versari tenuissima: adeo timent vel levem percussionem, imo vero etiam tactum et adspicunt. Hi irascuntur quasi atroci affecti iniuria in eis si salutandis, invisendis, reverendis minus te paratum promptumque praeberis. Quod si honorificentissime eos non habeas atque appelles, asperae illico querimoniae et simultates: « Indigno loco discubere sum iussus »; atque: « Heri, contra meum exemplum, me domum invisurum haud venisti. Longe aliter mecum utendum ». Qui quidem homines adeo a te alienant, ut eorum vel aspectus in fugam vertat; adeo sui amore immodece irretiti aliis amandis non vacant.

Praeterea, sicut dixi, homines commercium ita inter se instituunt, ut alter ex altero libet voluptatem quam maximam; uti vero tam difficilibus hominibus, quorum amicitia ut velum levissimum facile scinditur, maximam molestiam, non vero delectationem afferre consuevit.

Multa et varia in loquendo peccantur. Et primo quidem, si res quae agitur, inepta sit et vilis; quippe auditorum animos non captat, qui contra sermonem et sermocinantem simul

irrident. Neque tamen res est proponenda nimis arguta vel erudita, quae plerumque hominum captum exsuperet. Id vero diligenter cavendum, ne sermo instituatur de rebus, quae alicuius pudorem vel indignationem moveant.

De turpibus nunquam loquendum, licet oblectationi opportunis; nam honestos oportet in honestis tantummodo aliorum deliciis studere.

Verbum in Deum aut sanctos neque ioco neque serio tibi excidat, vel festivum et iucundum. Loqui enim de Deo per iocum non solum impii et scelerati est hominis, sed etiam inurbani, tum vero audientibus ingratum. Quare plurimos inde fugere vides, ubi turpiter de Deo sermo habeatur.

Cave ne quae ipse pecces, improbes in loquendo; ipsa enim in aliis vitia nostra odimus. Neve sermo sit valde alienus a tempore et auditoribus, quamvis bonus sanctusque esset, si opportune haberetur.

Tristia haud narrantur in mensis; ast, ubi ad festivitatem composita est societas, neque plagae memorentur, aut interitus, aut pestes, aut funebria alia. Quinimo, si quis de huiusmodi rebus loqui coepisset, scite et comiter ab illis ad iucundiora et aptiora est deducendus.

In errore item versantur, qui nunquam nisi de suis puerulis, uxore, famulaque disserunt; quum nemo adeo vacuus curarum sit, ut huiusmodi ineptissimis ineptiis responsum aut benignas aures possit praebere, aut nullo affici taedio.

Improbandi item, qui identidem somnia recitant tanto cum studio tantaque admiratione, ut illos omnino fastidias, eo magis quod ipsa facinora, quae de se vigilantibus praediant, nullum habeant momentum.

Mendaciis vero minus quam somniis aliorum aures tenueris, licet illa veritatis speciem interdum induant. Mendacibus enim nullam homines aurem nedum fidem serius ocius praebent. Quamquam complures ementientur nullo malo consilio, neve ut sibi bonum aut

aliis malum comparent, alii autem ad gloriam inanem sibi captandam.

Mendaces insuper se prodere possunt homines vel tacendo, actibus nempe et operibus; ut nonnullis contigit, qui mediocri vel humili loco nati tantam maiestatem prae se ferunt, sic sublimes graduntur ac tanta gravitate tamquam pro tribunal loquuntur, ut molestissimi spectantibus fiant. Neve quis nobilitate, honoribus, divitiis, vel multo minus sapientia gloriaretur.

(Ad proximum numerum).

I. S. P.

ANNALES

Europaeum bellum.

Quam in maxima turba maximam rerum omnium confusionem apud Russicam civitatem superiore mense reliquimus, eamdem et hodie invenimus, altero alteri gubernii administro feré in diés succidente, et in publico legatorum coetu, quem *Soviet* appellarunt et esset de re publica moderanda, inordinate atque incomposite, inter strepitus ac tumultus, rebus omnibus textis atque retextis vicissim. Germani igitur suopte arbitrio agere possunt, et Oesel, Dago et Moon insulas Baltici maris suas facere, et naves, ipsasque loricatas ut *Sleva* illam, demergere, et copiis bellicos fines nudare, certo certius habentes a Russis hostibus intermissa custodis loca haudquam iri occupatum.

Quas acies simul collectas, aliasque undique additas contra Italos unos, in Austriacorum auxilium, furenter verterunt. Tum vero necopinatus prorsus eventus intercidit. Sive enim dolo aliquo, vel inexplicabili illo pavore, quo interdum sine iusta causa multitudo corripi solet, an denique ex utraque ratione, — (res adhuc in incerto manet), — qui milites per annos duos et ultra, impervia ac difficillima Alpium iuga superaverant, expugnauerant

strenueque tenuerant; qui tot tantaque fortis animi specimina ediderant, seque universi orbis admirationi praestiterant, in laevo Iuliae regionis cornu, intra Canin montem atque Iudrum flumen, omni vi ex improviso destitui videntur; imparique praesidio adversae offensioni oposito, hostium turmis occasionem praebent sacram Italiae solum invadendi, efficiuntque heu! pariter, ut quae patriae manus per reliquam ipsam frontem intrepide resistebant, receptum, ne circumvenirentur, necessario inirent. Qui quidem receptus sacrificio non minus quam rebus gestis heroicus, mirabiliter effectus est usque ad Tilavemptum flumen, ubi fortasse iustum proelium pugnabitur. Itali interim cives optimum fortitudinis spectaculum praebent, erecto animo menteque ac fide una fatorum adversa perferentes.

Angli et Galli, qui foederatae Italicae nationi subvenire in huiusmodi discrimine satagunt, minime torpent. In Flandris illi Houlthulst silvam, quam formidabile pro pugnaculum sibi Germani effecerant, genti sue recuperant, et per ferriviam, quae, ab Ypres urbe, Roulers tendit, vincendo, sese cum Gallis sociis coniungunt, inferius operantibus. Victorias pariter obtinent ad septem Lens urbis triones, atque in Mesopotamia, ubi Ramadi urbem inditionem suam redigunt.

Galli offensionem in Axonae fluminis regione resumpserunt, sibique iterum addixere et Malmaison arcem, praediaque circum Allemane ac Vaudesson oppida, et Vauxaillon montem.

Kalendas Novembribus MCMXVII.

POPLICOLA.

VACUI TEMPORIS HORA

Sinatis, lectores mei humanissimi, ut qui in superiori fasciculo vobiscum loquens nonnulla sub oculis vestris posui, quae iam casu sub meos venerant, in eadem ratione parum-

per et hodie insistam. Res est antiqua prorsus, tum auctore qui eam descripsit, cuius nomen infra patefaciam, tum magis argumento ipso, quod illum respicit qui

malum virus serpentibus addidit atris

praedarique lupos iussit, id est odium, et invidiā, et dolum hominibus insevit, ut tam essent quam serpentes venenati, tam rapaces quam lupi: « Tum belli rabies et amor successit habendi; neque immerito: sublata enim Dei religione, boni quoque ac mali scientiam perdidierunt. Sic hominibus intercidit communitas vitae, et diremptum est foedus societatis humanae. Tum inter se manus conserere coeperunt, et insidiari et gloriam sibi ex humano sanguine comparare. Quorum omnium malorum fons cupiditas erat; qua scilicet ex contemptu verae maiestatis erupit; non tantum enim non participabant aliis ii, quibus aliquid affluerat, sed aliena quoque rapiebant, in privatum lucrum trahentes omnia; et quae antea in usus hominum etiam singuli laborabant, in paucorum domus conferebantur. Ut enim servitio ceteros subiugarent, in primis necessaria vitae subducere et colligere cooperunt, eaque firmiter conclusa servare, ut beneficia caelestia facerent sua, non propter humanitatem, quae nulla in ipsis erat, sed ut omnia cupiditatis et avaritiae instrumenta corraderent. Leges etiam sub nomine iustitiae iniquissimas iniustissimasque sanxerunt, quibus rapinas et avaritiam suam contra vim multitudinis tuerentur. Tantum igitur auctoritate, quantum opibus praevalebant, et quoniam nullum in his vestigium iustitiae fuit, cuius officia sunt humanitas, aequitas, misericordia, iam superba et tumida inaequalitate gaudebant, altioresque se ceteris hominibus satellitum comitatu, et ferro, et insigni ueste faciebant. Hinc honores sibi, et purpuras, et fasces invenerunt, ut securium gladiorumque terrore subnixi, quasi iure dominorum perculsi ac paventibus imperarent ».

Haec Lactantius (*De iust.*, V, c. 5-6) ab hinc plura saecula de aetate ferrea, quae

aureo saeculo successit, scribebat. Nonne vobis videtur mores illos, o quam, ecastor! optimos, cum ea aetate ex humano progressu autonomastice nuncupata, recens, ad amussim, ac feliciter rediisse?

**

Atque utinam fas esset, ut societatis huius membra redintegrarentur, quemadmodum cuiusque hominis membra iam late redintegrantur. Quocirca, memini audivisse me cuiusdam, acerrimi quidem ingenii, viri nonnullas computationes; nempe **membra hominum venalia** ille considerans iuxta ea quae chirurgica ars ingeniose molita est ferro, auricalcho, ebore, ligno, quibus vel abrepta, vel obtrita vel amissa infortunio aliquo membra corporis restituuntur, pretium statuebat, quo homo in integrum restitui posset. Par brachiorum - docebat - articulatas manus habentium emuntur libell. 700; tibiae pedesque libell. pariter 700; nasus ex metallo optime confectus libell. 500; dentatae mandibulae libell. 200; par oculorum optime nitentium libell. 150; binae auriculae, opportuno munitione tympano auditivo, libell. 500. Itaque tribus circiter millibus libellarum - concludebat - restaurare integrum hominem nobis licet. Integrumne? Caput enim pectus, thoracem, ventrem praeteribat... An satis aperte ostendere mens erat, nec cerebra heu! nec viscera, nec corda hominum pessumdata, renovare adhuc quemquam humanum artificem valuisse?

**

Quum medicam et chirurgicam artem forte attigerim, remedium addam umecta hac tempestate opportunum; est enim **de rheumatismo et arthrite curanda**. Tradidit Tallermannus, Anglicus doctor; qui ex metallo vacuos cylindros confecit, sicco complendos aere, cuius calor ad 150 thermometri gradus accedat, et interius vellere aut amiantho loricatos. In his correpta rheumatismo membra concluduntur; brevique manat ex artibus inclusis sudor, quo defluente, et membra refrig-

gerio fruuntur suavi, et dolorem penitus exuent.

Experimentum is faciat cui necesse sit; in his tamen neminem ex lectoribus meis profecto volo.

**

Ioci.

Tuccius in scholam rediit, atque Magister experiri vult an in feriis quidquam de geographicis et astronomicis notionibus dedidicerit.

Itaque eum interrogat:

— Per aestatem tu solem vidisti propere surgentem; nunc autem, et hieme magis, serius. Quid ita?

— Causa est obvia quidem. Quum aestate sol nimio nobiscum calore laboret, summo mane surgit ad sese refrigerandum.

Inter herum aegrotum et servum.

SERVUS. — Veterinarius ait, intra horae dimidium hue se adventurum.

HERUS. — Dii te infelicitent! Medico indigo, non quidem veterinario ...

SERVUS. — Atqui nonne dixisti equina te febri iactari?

**

Aenigmata

I

Vox quaedem ruris tribus est conscripta

[figuris,

Fronte Deum dempta signans; alvoque

[remota,

Millia praecedunt, sed quinquaginta su-

[persunt;

Quae tu si demis, certum pronomen ha-

[bebis.

II

Dum totus rubeo, sine vertice spiro ve-

[nenum.

(Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1, vulgo *Rebus*; Inter nubila *Phoebus*; 2] *Clavis-Avis*).

IOSFOR.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Sponsor.

ROMAE. — TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.